


DE GLOBO TERRESTRIS

tium in ortu æstiuo. Fauonius habet Africum in occasu brumali, & Corum in occasu æstuali. Horum nomina Græca & Latina subiecimus in hac obiecta figura,



Nauicularij uero recentiores triginta duos uentos ponunt. Nam horizon-
tem in partes 32. diuidunt in uicem e quales, imponuntq; illis nomina uentorum pro-
usu locorum, sicut uideri licebit in compassis ac cartis marinarijs. Sunt etiam qui-
dam peculiares quibusdam gentibus uenti, non ultra certum procedentes termino-
num, ut Atheniensibus Sciro, paulo ab Argete deflexus. Narbonensibus Circius,
qui nec ad uicinam quidem eiusdem prouintiae peruenit urbem, sic in Syria Syrus,
in Sicilia Carbasus, in Ponto Detracidas. Sunt præterea innumerabiles, fluminibus,
stagnis, aut finibus nominati, extra hos tamen ubiq; sunt duo, spiritus magis quam
uenti nominati, scilicet aura quidem leuis motus aëris in terra & ripis, in pelago ues-
tro seu alto Altanus &c.

De longitudine locorum ab fortunatis iusulis, & qualiter ea deprehenditur.

CAPVT VIII.

Longitudo loci siue habitationis, est segmentum A equatoris, uel sibi
æquidistantis paralleli, meridiano orientalioris loci & fortunata-
rum insularum, quæ nunc magnæ Canariæ, meridiano inclusum.
Est autem meridianus in terra circulus per terræ polos, & locū ha-
bitationis tuæ ductus, in quem cum Sol incidit, meridiē efficit omni-
bus sub illo meridiano habitantibus. Vnde gradus metientes arcū
æquatoris inter primum longitudinis gradum, siue primū meridianū, & meridianū
qui